34-9-C-8

ALMAE VRBIS MYSTICA DESCRIPTIO

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE



GENVÆ,

Ex Typographia Hieronymi Bartoli. 1589.

Permiſſu Superiorum.

ILLVSTRISS. ET REVERENDISS. DOMINIS

ALEXANDRINO PINELLO ET ASCVLANO

S. R. E. CARDINALIBVS Ampliſs. & Patronis Colendiſs.

Frater Deodatus Gentilis Genuenſis ſacræ Theologiæ Lector ord. Præd. humilis ſubditus & ſeruus. S. P. P.

EA eſt (Illuſtriſsimi orbis vrbiſq́, cardines,) veſtrorum cordium indiuiſa vnitas, ea animorum ſibi vndiquè ſufficiens multitudo, vt dum ipſas mentis obtuitu in animi ſimulacro gratæ obſeruantiæ ſcalpo inſculptas fixius intuerer,

 eluce-

eluceſceret apertè mihi, quomodo Regnum Dei intra vos ſit, quomodoq; Ciuitatem illam ſanctam Hieruſalem deſcendentem de cœlo, tanquam ſponſam ornatam viro ſuo, vobiſcum hoſpitio receperitis, ei tabernacula conceſſeritis, & ipſius inſtar Ciuitatem quandam virtutum aſſonam, & diſſonam apud vos erexeritis; vbi vnitas cordium principatum obtinet, lucidiſsimus verò intellectus, altiſsima ſcientia, et ſapientia, nec non & euigilantiſsima prudentia, ſenatorio funguntur officio: ſunt exorantes ſacerdotes, religio, & pietas: cuſtodientes milites, temperantia, et fortitudo: ſubuenientes diuites, magnanimitas, & magnificentia: induſtrij artifices manſuetudo, & affabilitas: auidi mercatores, liberales effuſiones: agricolæ laborioſi, inconcuſſa ac iuſtiſsima iudicia. Quæ muro ignitæ ac mutuæ amicitiæ circumvallatur: ianuis amoris, beneuolentiæ, & beneficẽtiæ clauditur, aperiturq; turri continẽtiæ protegitur: aquis grati animi exũdatur: ære

ſanctæ

ſanctæ conuerſationis fouetur: eſca ſpiritualis collocutionis enutritur, vt iure optimo cum Propheta de ea valeam exclamare, Fundamenta eius in montibus ſanctis, diligit dominus portas Sion ſuper omnia tabernacula Iacob. Huic igitur veſtræ omnium virtutum Ciuitati, (o glorioſiſſimi Principes terræ, & Romæ præclara lumina,) Ciuitatem hanc meam ſub Romanæ vrbis typo excogitatam dicare volui; vt quos viſibilis hæc Roma ſibi apprimè proficuos veneratur principes, & vrbs beata Hieruſalem chariſſimos amplexatur filios; eoſmet hæc mea expicta Ciuitas benigniſſimos obtineret patronos, præclaræque virtutum ciuitati Theoremata hæc deuouerentur, quæ in inſigni vrbe pro virtutis exercitio diſceptanda ad eiuſmet imaginē diſpoſita fuere. Properantem igitur ad te Ciuitatem, tibi ſe humiliter inclinantem atq; in perpetuum addicentem, ne reſpuas, o lucidiſſima Ciuitas; & ſi enim proprijs eam meritis nigram inſpexeris, formoſam

tamen ex reflexo in te obſeruantiæ decore cognoſces; ipſiuſque fabricatorem (ſi tamen petere hoc, ſperare ve licet,) intra muros tuos per ianuas tuas introducas; tecum in ſæcula non ciuem, ſed ſeruum permanſurum; Hoc expoſtulabit ipſa; hoc haud interruptis vocibus efflagitabit. O vtinam cõcedas; vale ad orbis annos, vrbis orbiſq́; gloria.

MYSTICA VRBIS DESCRIPTIO.

VRBEM vrbemq; illam enarraturo, non quam ſolummodò in ſexta ſeculi Olimpiade Romuli audaces extruxere manus, inſignis deinde Numa Pōpilius legibus, ac religione, & ſi falſa, perornauit; ſed eā (ſub huius tamen typo) quam in vtero æternitatis fœcundiſſimus Dei intellectus præordinauit, in temporis initio omnipotentes eius manus fundauerunt, per totum ipſius decurſum euigilantiſſima ipſiuſmet prouidentia erexit, & erigit, gubernauit, & gubernat, ac ſanctis moribus, veraq; religione decorauit, & decorat; illud in primis ex Pſalmographo ad eam auſpicandam occurrit: Glorioſa dicta ſunt de te Ciuitas Dei. Glorioſa equidē, cuius celſitudinis apud homines præclarè extitit inſtar hæc Roma triumphās inter Gentiles, & hæc Roma imperans inter Chriſticolas: Ciuitas quidem Dei, cum & liberorū multitudinem, & ciuium vnitatem, & omnium neceſſariorum ſufficientiam, imò ſuperabundantem affluentiam, (Ciuitatis cuiuslibet germina, & ſemina prima) obtineat. Certè beatæ huius vrbis ciues liberi ſunt, quos proprio ſanguine liberauit Chriſtus; vnde Paulus: Nō ſumus ancillæ filij, ſed liberæ. Arctiſſima deuinciuntur vnitate; cuius vnitas eſt Deus ipſe, aiente Domino, Vt omnes vnum ſint, ſicut tu pater in me & ego in te, vt & ipſi in nobis vnum ſint. Omnibus neceſſarijs, & congruis in hac ciuitate affluunt, ex prophetæ vaticinio, Replebimur in bonis domus tuæ. Glorioſa igitur Ciuitas Dei, Eccleſia nempè ſancta eius, quam vt ex hac glorioſiſſima Romana vrbe proſpecta apertius proponam de ea, Primò quid in communi ciuitas, quis princeps, qui ſacerdotes, ſenatores, milites, mercatores, Agricolæ, quod fundamentum, mœnia, turres, ac ianuæ, quæ aqua, aeris bonitas, & eſca, quod robur, & prælia & tandem quis finis, ac præmium, & ſi non vndiq; (quod mihi vt

Pſal. 86.

Gal. 4.

Ioa. 17.

Pſal. 64.

fateor

fateor ob imbecillitatem non datur) aliqualiter tamen pro virili explicabo; vt his omnibus inſpectis, & Romam ſpeculum laudibus extollamus, & ſacroſanctam Dei Eccleſiam repreſentatum intenſa charitate diligamus. De ambabus iugiter canentes. Glorioſa dicta ſunt de te Ciuitas Dei.

CIVITAS.

Apoc. 21. CIuitas ea eſt de qua dilectus Chriſti Apoſtolus aiebat: Vidi Ciuitatem ſanctam Hieruſalem, nouam deſcendentem de cœlo, tanquam ſponſam ornatam viro ſuo. *Hieruſalem ſancta ciuitas Eccleſia, quam ſi eius ampliſſimum proſpiciamus ſignificatum, appellabimus omnium fidelium, ac quoquo modo, in eam ſummam mercedem ordinatorum collectionem: de qua mercede dominus Abrahæ dixit.* Ego
Gen. 15. ero merces tua magna nimis. *Chriſti in hoc amb tu corpus myſticum, non ſimile aut homogeneum, (quod aiunt philoſophi) ſed diſſimile, & voce phyſica etherogeneum, hoc in-*
1. Cor. 3. *ducente Apoſtolo:* Omnia veſtra ſunt, vos autem Chriſti, Chriſtus autem Dei. *Huius enumerantur partes non electi ſolummodò: ac prædeſtinati, ſed & præſciti, ac reprobi. Cęterum ampliſſima hæc huius ſpiritualis vrbis acceptio in arctiores, ac propriores diuiditur, dum ex illa aliam concipimus triumphantem Eccleſiam, aliam purgantem, aliam demum militantem: illam quæ ita iam cucurrit atq; certauit, vt cum Apoſtolo & brauium obtinuerit, & legitimè coronata extiterit: Alteram quæ & ſi viam abſoluerit, non adhuc tamen terminum eſt adepta, ſed vtriuſq; particeps ad aſſequendam metam etiam anhelat: Vltimam quę in agone poſita de die in diem præliatur, ſacra teſtante ſcriptura.* Militia eſt vita
Iob. 7. hominis ſuper terram. *Triumphans illa eſt quæ lumen poſſidet ſine lumine, vitam ſine vita, menſuram ſine menſura, & tandem cuius quicquid verè concipimus, totum tamen anguſtum inuenitur, ac mutilum. Purgans verò animarum collectio eſt a corporibus abſolutarum, quæ in quodam peculiari loco congregata (loco equidem qui & idem eſt, & diſtinguitur a loco inferni) a corporeo igne, pœna ſenſus maiori quacunque*

pœna ac dolore huius ſæculi afficitur; non ſola apprehenſione (vt dicunt aliqui) ſed incluſione: imò etiam (vt quid preßius dicam) vera afflictione doloris, & mæſtitiæ: torquetur adhuc pœna damni, dum viſione ſummi boni caret; quæ an magis illã affligat, quam damnatos negatiuam ſtatuo, & affirmatiuam ventilandam propono. Affligitur autem duplici hac pœna, vt reliquias pœnarum peccatis debitarum, quas in hoc ſęculo non perfectè, ibi vſq; ad calcem, & ad vltimum quadrantem perſoluat: imò vt etiam a veniali culpa expurgetur, cum nihil coinquinatum, docente Spiritu Sancto, ingrediatur Regnum Dei, Apoc. 21. *Ignis ipſam velut argentum in fornace expurgans, eſt vnus cum inferni igne, æternus ſecundum ſubſtantiam, finitus ſecundum effectum, qui & ſi corporeus ſit in animas tamen, vt inſtrumentum diuinę virtutis agit: attamen non ſola virtute inſtrumentali, quam in ipſo vſu, aut cum ipſo vſu obtineat, ſed etiam actione propria naturali, non equidem a Dæmonibus inſufflatus, ſeu ab Angelis bonis, cum nec iſti nec illi purgantem Eccleſiam pœnis afficiant, ſed a ſolo Deo eleuatus, quamuis per Angelorum electorum manus ipſis aſsiſtentibus, atq; occurrentibus Dæmonibus ad prædictum locum purgandæ deferantur animæ, vbi fide, charitate, ac certißima ſuæ ſalutis ſpe vigentes, craſſantibus flãmis noſtrum meritorium implorant auxiliũ, cum Iob dicentes:* Miſeremini mei, miſeremini mei ſaltē Iob. 19. vos amici mei. *Laudabile namq; non meritorium eſt, quicquid inibi patiēter ſuſtinent: ſed iam ſatis ſuperq; de purgante Eccleſia ipſa. Ad militantē veniamus præcipuam huius noſtri ſermonis metam, ac ſignum, quæ & duplicem admittit acceptionem extenſiorem primam, collimatam magis, ac limitatam ſecundam; luſtrat prima & ſinagogam, & Chriſti Eccleſiam, diciturq; collectio omnium viatorum Chriſti fidem participantium ab initio vſq; ad finē ſæculi diſtributa. Hæc ea Noe arca eſt extra quã nõ eſt ſalutis locus dicēte Euangelio:* Nemo aſcē- Ioa. 3. dit in cęlũ niſi qui deſcendit de cęlo, filius hominis qui eſt in cęlo. *Vltimò tandem ac ſtrictiori modo ſumpta Militans Eccleſia eſt, fidelium baptizatorum viſibilis collectio, ſub vno capite Chriſto in cœlis, & eius ſupremo Vicario Romano Pontifice in terris; Collectio quidem, & ordinata ſecundum di-*

uerſas hierarchias, ita vt fieri nequeat, quod comenti ſunt aliqui, vt ipſa ſaluetur, aut in vno ſolo, aut in ſolis infantibus, aut in ſolis hominibus eiuſdem prorſus ordinis: fidelium autem collectio, vnde non ſolum idolorum cultores, ſed etiam perditiſſimi hęretici ab ea profligantur; Baptizatorum quidem, quę circa & Cathecumenos a perfecto eius complexu reijcit: viſibilis collectio, cum non animas Chriſtianorum tantum ipſi Chriſto addictas, atq; fideles; ſed earundem corpora internam religionem externis motibus proteſtantia expoſcat: ſub vno certè Chriſto capite in cęlis, a quo ipſa vna, non genericè, & ſpecificè tantum, ſed numeraliter vitales gratiæ obtinet influxus: ſub eius tandem Vicario in terris, ſupremo ſcilicet Romanæ ſedis Præſule; ſine quo etſi corpus Chriſti myſticum ſit, mancum tamen deficienſq; eſt; de qua cum dicat Apoſtolus: Eccleſiam

1.Tim. 3. Dei uiui colūnā, & firmamentum eſſe ueritatis, *ideò omnium fidelium in credendis, atq; agendis magiſtra eſt; in primo quidem, tum quia in fide errare non poteſt, tum etiam quia in ipſius auctoritatem vltimò reſoluuntur omnium credendorum propoſitiones, diuinis eloquijs ita coniuncta, vt ea ab iſta, & iſta ab eis mutuò firmitatem obtineat; in ſecundo autem, cum plenariam, & apoſtolicam prorſus auctoritatem habeat in Chriſtianorum moribus corrigendis, ac inſtruendis, in quibus proponere, commutare, euertereq; leges poteſt, dummodò naturalis aut diuini iuris, ſeu a Chriſto immediatè, vel ab Apoſtolis ipſiuſmet Chriſti nomine, ac perſona promulgatæ non ſint:*

Can. 1. *malos bonoſq; in ſuo gremio cōfundit, vnde* Nigra ſū ſed formoſa filiæ Hieruſalē. *Et tamen vera eſt de ea iſta ſententia. Hęc Chriſti Eccleſia eſt prædeſtinata, & oppoſita falſa. Nuncupatur in omnibus orbis partibus ſancta, Catholica, & Apoſtolica; ideòq; de ipſa rectè cecinit diuinus vates:*

Pſal. 86. Fundamenta eius in montibus ſanctis, diligit dominus portas Sion ſuper omnia tabernacula Iacob.

PRINCEPS.

PRincipem ſuper cæleſtis vrbis Chriſtum dicimus, cuius locum in terris & imaginem gerit B. ac ſupremus Antiſtes

ſtes huius vrbis, de quo etiam concinebat Eſaias propheta.
Paruulus natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis, & fa-
ctus eſt principatus ſuper humerum eius. *Puer ab æterno* Eſa. 9.
natus, filius in tempore datus, qui crucem humeris baiulando
Chriſtiani principatus fidem firmauit cum dicat. Si exaltatus
fuero a terra omnia traham ad me ipſum. *Cæterum vt eum* Ioan. 12.
ipſiuſq; naturas intimius euoluam, illud prædilecti diſcipuli di-
uinum arcanum proponere libet, Vidi alium Angelum for- Apoc. 10.
tem deſcendentem de cœlo, amictum nube, & Iris in
capite eius, & facies eius erat vt ſol, & pedes eius tan-
quam columna ignis, & habebat in manu ſua libellum
apertum, & poſuit pedem ſuum dextrum ſuper mare,
ſiniſtrum autem ſuper terrã. *Angelus proculdubio dicitur*
Chriſtus, ſi vocis ponderemus rationem. Nuntius etenim æter-
nus eſt, ac temporalis; æternus quippè, cum rerum Ideas om-
nes, exemplariaq; (quibus in intimo effulget per modum intel-
ligẽtis & principij, diuini Patris intellectus) per modum obie-
cti, & termini vniuerſa explicando in ratione adæquati exem-
plaris in eſſe intelligibili complẽtè nuntiarit, vnde Apoſtolus:
Qui cũ ſit ſplendor gloriæ & figura ſubſtãtiæ eius, por- Heb. 1.
tanſq; omnia verbo virtutis ſuæ, *omnia quidem portat, ideò*
omnium factibilium in ipſo ſunt exemplaria, imò, & aliorum
infinitorum Ideæ; quæ cum ſolo actu diuinæ cognitionis produ-
cantur, vt appropriata Ideatorum ſimulacra, iccircò & ſola
relatione rationis diuinam intellectionem conſequente conſti-
tuuntur, & à ſe inuicem, ac ab eſſentia verbi diſtinguuntur. In
horum numero, & primæ materiæ exemplar nuntiat Angelus
hic; quod quidem an vnitum ſit, ſeu potius diſtinctum a compo-
ſiti ſimulacro indefinitum relinquo. Nuntius vero temporalis,
qui à regalibus ſedibus veniens hominũ magiſter, Angelus, ac
Doctor diuina ipſos arcana edocuit, vt eſt initium epiſtolæ
Ioannis. Quod fuit ab initio, quod audiuimus, quod vi-
dimus oculis noſtris, quod perſpeximus, & manus noſtræ 1. Io. 1.
cõtrectauerunt de verbo vitæ. *Hic perſona equidẽ eſt a Pa-*
tre diſtincta realiter, non alio quam relatione originis, cum nec
ipſe, nec cæteræ perſonæ diuinæ aliud ſint, in ſuo conceptu pro-
prio, niſi relationes diuinæ ſubſiſtentes, ideò relationibus tali-

bus & conſtitutæ, & diſtinctæ. Patri in vna numero natura
æqualis ab eodem non per actum naturæ ſed intellectus, non li-
berè ſed naturaliter, non renuente ſed annuente voluntate
per veram natiuitatem proceſſit, genituſq; eſt filius. Proceſſit
Eccl.24. quidẽ ex quo ipſemet dicit. Ego ex ore altiſsimi prodij. Geni
Pſal 109. tus antẽ vnde antè luciferũ genitus, & ante ſęcula natus à Re-
gio uate decãtatur. Cuius generationis proceſsionisue ſicuti in-
tellectus principium eſt, ita & intellectio actus nõ qualiſcunq;
tamen ſed expreſsiuus; qui differat nec ne ab ipſo dicere tam in
creatis, quam in increatis, quamuis amplector magis negatiuã
ab affirmatiua tamen aliquo modo non abhorreo. Pariter an
intellectio ab expreſsiua cognitione ſecernatur affirmatiuam
potius proponens, negatiuã vndiq: non aboleo. Angelus quip-
pè a Patre genitus, tamen ita vt producendi potentia ſit ipſa
Dei eſſentia in patre, non prout eadem eſt cum proprietatibus,
ſed ſuo modo ab eis diſtincta, per ipſam natiuitatem eidem vna
ſimpliciter communicata. Et hoc quidem cum genitor infini-
tum illud intelligibile eſſentiæ ſuæ, & in eo ſemetipſum, filium,
ſpiritum, & quodcunq; cognoſcibile proſpiciendo verbum hoc
ſuum, imaginem, ac filium generat; ita ſibi colligatum vt non
ſolum vna natura, ſed vna naturæ ratione formali, imò vno in-
diuiduo ſubſiſtenti naturæ ſecum vniatur; ex qua coniunctio-
ne talis inter ipſos mutuus adoleſcit amor, vt ab vnica natura,
per vnicam voluntatem, vna volitione, vt vno principio, na-
turaliter non liberè, mutuum, non per natiuitatem ſed per ſim-
plicem proceſsionem, ſpirent amorem: qui tertia ab eis realiter
diſtincta perſona eſt; relatio, & ipſa ſubſiſtens, originis relatio-
ne conſtituta, & diſtincta, non quatenus ſit aliarum principiũ
ſed veluti ab alijs dependens, eiuſdem prorſus cum cęteris per-
ſonis naturæ, potentiæ, ac virtutis; ſacris nominibus non pro-
priè, ſed ex accommodatione quadam Amor, Donum, ac Spi-
ritus nuncupata. Tali coniunctionis nexu genitus noſter An-
gelus, ingenito genitori ſecundum naturam, & affectum
Ioa.10.4 vnitur; Ideo de primo aiebat ipſe, Ego in patre, & pater
Matt. 3. in me eſt: & de ſecundo Pater, Hic eſt filius meus dile-
Matt. I. ctus: & filius, Ego diligo Patrem. At in Apocalypſis
ſententia pergentes, fortis ac ſtabilis hic Angelus eſt: Stabilis
per-

permanendo, fortis operando: ſtabilis cuius natura nullam eſſentiæ & exiſtentię, actus, & potentię, formæ ſeù materię, virtutis & operationis, ſuppoſiti, & naturę, demumq; ſubſtantię & accidentis varietatem admittit. Stabilis in eſſe, cum ipſummet eſſe per eſſentiam ſit, ideò ad Moyſen dixit Ego ſum qui ſum. *& omnibus aſſiſtens per eſſentiam, pręſentiam, & potentiam. vndè non ſola operatio, ſed & eius ſubſtantia cuncta adimplet; a nullo circumſcriptus loco, omnia circumſcribens, qui tandem immobilis cum ſit dat cuncta moueri. ſtabilis in duratione cum ęternitatis indiuiſibili, inuariabiliq; momento menſuretur, vbi nullum prius, nullum poſterius, nullum pręteritū, nullum futurum, & nulla demum difformitatis ſucceſſio, ſed inuariabilis perpetua præſentia reperitur. Eſt nanq; æternitas eadem diuinæ vſię ſimplicitas, quæ vt vniformitatis ſic & mēſuræ induit rationem. ſtabilis vltimò in operatione, dum non ſolum inuariabiliter omne cognoſcibile intelligit, & practicè, & ſpeculatiuè, ſed etiam inuariabiliter vult, operaturq; quicquid ſibi placet; vnde ineuitabiliter accidunt quęcunque ab eo pręordinata ſunt; nec ideò euentuum contingentia tollitur, nec precum orationumue vtilitas euacuatur, vt perſpicuè apparet illis qui diuino lumine recti hęc arcana rimantur. ſtabilis fortisq;, tum intelligendo tūm volendo tū operando; & intelligendo quidem, dum ex ſimplicis negationis gremio obiecta quęcunq; intelligibilia ad eſſe intelligibile primò deducit, dum omnium imò infinitorum, & non ſolum in communi, ſed in particulari, non neceſſariorum tantum, ſed & contingentium, non diſcurſiuam ſed ſimplicem habet ſcientiam, qua non ſubſtantiā eorum tantum, ſed & accidentia cuncta ac proprietates indagat. Fortis in voluntate cuius velle eſt agere, ſemper efficax, quo & in ſua eſſentia exemplaria, & in Angelicis mentibus infuſas ſpecies, & in vniuerſo ipſiuſmet, ac ſuarum partium naturam apparere facit; eo poteſt agere quodcunque apertam contradictionem non inuoluit: Ideò & vniuerſi machinam, quā ad aures ſacræ ſcripturę in initio temporis extruxit, ab ęterno fabricari potuit; ad quod tādem quaſi ad primum fontem omnium euenientium ratio reſoluitur.* Voluntati enim eius quis reſiſtet? *At nec minus in operatione validus, qui cuncta ex nihilo*

Exo. 3.

Rom. 9.

bilo creauit a ſemetipſo nullo mediante inſtrumento, cum nec
creatura quęlibet, vt creationis inſtrumentum aſſumi poſſit,
Iſta intellectuales ſubſtantias, cęleſtia corpora, & omnium mi-
xtorum ac ſimplicium ſpecies, imo & materiam primam, acci-
dentia quoq; relationeſq. ipſas condidit; iſta benignitate ſua
creata vniuerſa in ſuo eſſe conſeruat; ad eius nanque ſolam
amotionem tenderent ſingula in nihilum. Quę conſeruatio ſicut
differt nunc a creatione realiter, verum diſtingueretur conceſ-
ſa vniuerſi ab æterno creatione, nil diffinitum dico. Meritò igi-
tur & per pulchrè vidiſſe ſe retulit Ioannes Angelum fortem,
ſed audiamus quid ſequatur, Deſcendentem de cęlo amictu
nube. Quę nubes Angelica hęc: aut quis Angelus nube obtectus
deſcendens? Nonnè ille quem ita ſuſpirabant prophetę precan-
Iſa.45. *tes.* Rorate cæli deſuper, & nubes pluant iuſtum, aperia-
tur terra, (hoc rore fęcundata) & germinet Saluatorem?
Gal.4. *Nonnè ille de quo Apoſtolus.* Cum venit plenitudo tem-
poris miſit Deus filium ſuum natum ex muliere, factum
ſub lege, vt eos qui ſub lege erant redimeret? *Nonnè ille*
Io. 1. *de quo tandem altiſſimè intonabat Ioan.* Et verbum caro fa-
ctum eſt? *Verum in tanto ſacramento rem ſicco pede non per-*
tranſeamus, ponderemus quis eſt qui deſcendat, ad quem deſcen-
dat, & quam nubem ad ſui inuolucrum eligat, qualis deſcenſus,
qui ipſius effectus, & vltimò quę cauſæ. Deſcendit non natura
diuina, quamuis valeret & ipſa remotis perſonalitatibus qua-
lemcumq; naturam creatam primò induere ac terminare, imò
in incarnatione facta etſi non primò ſecundò tamen termina-
uit naturam aſſumptam; non perſonę diuinę (ſi in communi lo-
quamur) quamuis & ipſarũ vna ſiue alia, aut plures eandẽ nu-
mero, aut ſingulę ſingulas, aut omnes diuerſas, aut vna ex illis
plures naturas primò aſſumere potuiſſet. ſed ea perſona inter
alias ſub Angeli typo expoſita, quę in diuinis non Pater, non
Spiritus, ſed Verbum eſt; & meritò quidem ac congruè, vt vir-
tus ac ſapientia diuina (quę apprimè ſemetipſam in hoc my-
1. Cor. 1. *ſterio propalauit per verbum, vt teſtatur Apoſtolus,* Dei vir-
tutem ac Dei ſapientiam) *explicaretur, ac per filium natu-*
ralem Dei, gratia huius myſtici deſcenſus, eiuſdem filij adopti-
Rom. 8. *ui homines efficerentur, atque hoc ille idem inſinuabat,* Quos
præ-

præſciuit & prædeſtinauit conformes fieri imagini filij ſui: *Verum aduertamus ad quem deſcenderit. Certè ad Angelicam non reclinauit naturam, quamuis homine praſtantiorem valentemq; aſſumi*; Nuſquam enim Angelos apprehendit, ſed ſemen Abrahæ apprehendit .. *Nec ad irrationales ſubſtantias, quamuis poſſet & illas ſibi in perſona vnire. ſed ad humanam, ex quo per ſapientem fatebatur.* Deliciæ meæ eſſe cum filijs hominum. *Quam quidem non in quadam communitate abſtractionis, nec vt in omnibus reperitur hominibus, ſed vt ſingularem in vno tantummodò ſuppoſito aptam reperiri ſibi coniunxit: veruntamen non ita vt in ea propriam perſonam, ac ſuppoſitum aſſumpſerit; etenim qualiſcunq; creata perſona (quæ in vniuerſum a ſua natura etiam ſingulari realiter diſtinguitur) inaſſumptibilis eſt ab omni alia, ſiue finita ſiue infinita. Hanc quam vt tabernaculum vbi complacuit Deo habitare cum hominibus, elegit, vero corpore, terreno ex carne ſanguineq; conflato preditam voluit, decoratamq; inſuper vera anima intellectiua rationali, ipſius corporis forma; quibus non ſeparatis, ſed in vnam tertiam humanitatem coaleſcentibus ſe adiunxit, non ſolummodò per ſingularem gratię, & affectus cohabitationem, nec ſub forma aſſiſtentis habitus, aut ſecundum ſolam perſonalitatis dignitatem, ſed ſecundum verã ſui realem perſonam, & ſuppoſitum, loco proprię perſonę ac ſuppoſiti, eſſentialiter el communicatum, ità vt rectè aſſerat Paulus.* Qui cum in forma Dei eſſet, exinaniuit ſemetipſum formam ſerui accipiens. *At qualis, rogo, eſt deſcenſus Angeli ad nubem? Coniunctio quadam eſſentialis, ſubſtantialiſq; eſt, qua vt propriſſimè locutus eſt Ioan.* Verbum caro factum eſt; *non relatiua quidem ſed abſoluta, & in his compoſita non ſimplex: Innoteſcit ſummoperè ex realibus relationibus aſſumptionis videlicet, & geminæ vnionis quę eam conſequuntur; reales certè relationes, nil tamen reale in aſſumente Verbo ponentes, ſed in aſſumpta natura, & ſi verbum barũ correlatiuum exiſtat; iſtæ creata accidentia ſunt, cum & creata ſit humanitas cui inſunt; at coniunctio illa ſubſtantialis, etſi in tempore compleatur, non tamen quid creatum eſt, ſed increatum, imò creator. Nobiliſſimus deſcenſus, maxima digniſſimaq;*

Heb. 2.

Pro. 8.

Phil. 2.

Io. 1.

vnio

unio, quę omnem aliam creatam excellit, parum ab indiuiſa San
ctiſſimæ Trinitatis coniunctione diſtans, a benigna grataq; Dei
voluntate, nullo creato præexigente merito exoriens, quod in
Io. 3. *Euangelio legimus.* Sic Deus dilexit mundum, vt filiũ ſuũ
vnigenitum daret. *Hęc in momento temporis facta ordinem*
quendam admittit, ita vt corpus per animam, animam per
mentem, partes per totum, totumq; per partes, ſibi vnierit Ver
bum; nec tamen prius corpus quam animam, aut animam, quã
corpus, ſed omnia ſimul, diuina ſic operante virtute ſuſcepit; cũ
Luc. 1. *reſponderit cœleſti Nunciatori Deipara,* Ecce ancilla Domi-
ni, fiat mihi ſecundum verbum tuum. *Iam verò non omit*
tamus mirabiles huius deſcenſus effectus, inter quos patentio-
res, faciilioresq; adſcribuntur, in omnibus, nimirum, operando
omnia innouaſſe; vniuerſa in homine ad digniorem gradum e-
nexiſſe, atq; adeò feciſſe Deum, quod apertè ſignificauit ijs ver-
Apoc. 21. *bis qui ſedebat in trono,* Ecce noua facio omnia; *attamen*
obſcuriores ac magis reconditi ſunt, Naturam, ſcilicet, Deita-
tis infinitam, & humanitatis finitam vnica indiuiſibili reali,
ſolaq; verbi perſona gaudere (Quò circa) & vnica tantum exi-
ſtunt exiſtentia non creata quidem, humanave, ſed increata ac
diuina; imo in omni operatione myſtici huius Angeli eſt vnum
operans, quamuis duæ rationes operandi, & duæ virtutes, duæ-
que operationes. Ac poſtremò tam ardenti amplexu ſe inui-
cem coniunxere in Chriſto duæ ipſius naturæ, vt verè vberrimo
referti gaudio valeant concinere homines, Deus eſt homo, &
homo Deus, & mutuas ad inuicem reſonare proprietates in
propoſitionibus concretis, dummodò enuntiationes con ſimiles
contradictionem non intercipiant, Hic eſt amplexus illę de quo
Pſal. 84. *ita Citharædus vates eſt modulatus.* Miſericordia & veri-
tas obuiauerunt ſibi, iuſtitia, & pax oſculatæ ſunt. *Sed*
quæ huius deſcenſus cauſa, quod efficiens, ſcilicet, & quis finis?
Efficiens primum Deus ipſe eſt, & cum eo omnes diuinæ perſo-
næ, quæ vnica ſimul huius Dei primò operatione exterius agen-
tes, nubem humanitatis ad Angelum verbi eleuarunt, & in
vtero Virginis præparatam materiam in momento humana
figura, finxerunt, anima intellectiua formarunt, & verbo copu-
larunt: Deipara quidem in hac conceptione paſſiuè ſolummodo

concur-

*concurrente, & ſi egerit aliquo iure in ipſius materiæ præpa-
ratione. At quis finis? quæ occaſio deſcendendi? certè vt hu-
manum genus perditum a labe peccati mundaret tum actualis
tum originalis, potiſſimum huius cui adſtipulatur & Eſaias.*
Dominus iudex noſter, Dominus legifer noſter, ipſe ve- Eſa.31.
niet, & ſaluabit nos, *& Apoſtolus:* Ieſus venit in hunc mũ 1. Tim.1.
dum, vt peccatores ſaluos faceret, *Ideò his oraculis aſtri-
cti, negare nequimus, Verbum carnem aſſumpturum non fuiſſe,
ſi Adam non peccaſſet, verùm haud credimus iſtam extitiſſe
præcipuam, ac potiſſimam cauſam ſui aduentus, quamuis con-
cedamus proximam, & ſine qua non, ſed aliam altiorem, &
digniorem perſcrutamur, & hæc ea eſt cuius gratia nunc tot
verba effundimus, Principatus, ſci. Chriſti in ſancta Hieruſa-
lem, ac myſtica vrbe electorum, & Eccleſia, ad quem ante om-
nem prædeſtinationem cuiuſcumq; alterius preordinatus fuit
ipſe a diuina voluntate: non enim primò ad gloriam fuit prede-
ſtinatus, ſed ad naturalem Dei filiationem, vnde ipſius anima
ſummam gloriam quæ creaturis conferri valeat indipiſcitur,
inde in Principatum electorum, ad quem directa fuit, & alio-
rum electio, & peccatum, in cuius remedium, & aliorum repa-
rationem, aduentum, paſſionem, mortemq; ſaluatoris ſtatuit
Deus. Hac de cauſa ſacrum eloquium reſonabat ſub voce An-
geli myſtici,* In initio viarum ſuarũ poſſedit me dominus, Prou. 8.
& vas electionis profundebat, hinc, Qui elegit nos in ipſo Ephe. 1.
ante mundi conſtitutionem, *indè,* Quem conſtituit hæ- Heb.1.
redem vniuerſorum per quem fecit, & ſæcula. *Nunc ab
his ſermonem diuertamus videamuſq; quibus gemmis, & orna-
tu Angelus Ioannis è cælo ad nos volitans nube obtectus ſe-
metipſum expolierit. ſequitur nanq;* Et iris in capite eius. *Iri
dem geſtat in capite, vt diuerſi, imò omniscoloris contexta co-
rona reuerendum eius verticem exornet: Iris profectò arcus il-
le celeſtis eſt omnibus virtutibus expictus, quo noſtri Angeli
caput, animus ſci: perbellè circuncingitur: in quo ad efferendã
ſimul omnigeni coloris celeſtis ſpeciem conueniunt virtutes he
roicæ, excellentiſſima diuini ſpiritus dona, inſignes gratiæ gratis
elargitæ, habitualis gratia ſecundum plenitudinem ac menſu-
ram, que & propria ſolius Chriſti eſt, & vnionem quam ordine*

naturę ſequitur decet; taliſq; eſt, vt poſſit finita infinitaq; dici,
nec augumentum admittat; ſcientia inſuper beatifica, qua & ſi
incomprehenſibilem Dei eßentiam non abſoluit, eam tamē ver
bumq; ipſum lucidius quacunq; creatura intuetur, adeò ut quã-
uis non omnia Deo poſſibilia proſpiciat, facienda tamen cuncta
& ſi infinita ipſum minimè lateant. His addè inditam ſcientiã
per rerum ſimilitudines ab omnium intelligentium fonte ipſius
menti infuſas; qua intelligibile quodcunq;, ſit ſeparatum vel
corpori admixtum, vniuerſale ſeu particulare, præſens ſeu prę-
teritum, vel omni alio modo acceptum, vna duntaxat excepta
Deitate, perluſtrat; vnde & maior & minor eſt aliquo iure An
gelica cognitione; Hanc per modum habitus non vnici tantum
ſed plurificati poſſidens, non indiget vt in eius acquiſitione, ſeu
vſu ad phantaſmata ſe conuertat, nec medio diſcurſu eam eſt
aßecutus, licet ipſa vtendo diſcurrat. Appone ad huc ſcientiã
acquiſitam qua lucidiſſimus eius obtutus id omne introſpexit,
quod poteſt ad ordinem intelligibilium redigere intellectus a-
gens, in cuius adeptione, & ſi non habuit humanum, aut An-
gelicum Magiſtrum edocentem, tamen in dies proficiebat, iuxta
Luc.2. *Euangelij teſtimonium,* & Ieſus proficiebat ſapientia, & æ-
tate, & gratia apud Deum, & homines. *Singula conclude*
illa admirabili poteſtate, qua & ex ſe & velut inſtrumen-
tum Diuinitatis operabatur. Nonnè in his omnibus virtutum
Iridem, perfectionum coronam, ac lucidiſſimas animi gemmas
*proſpiciemus? (*Et iris in capite eius.*) ſed quid vlterius addi-*
dit Ioãnes? Et facies eius ſicut ſol. *luminare hoc maius vni-*
uerſi ita omnibus allucet, vt nullum corporeum reperiatur,
quod eius lumine non perfruatur; omnia ad vitam eleuans, ad
operationem excitans, atq; in ea dirigens, omnia in ſuis actibus
roborans, interius exteriuſq; animantibus influens, viuentia
cuncta progignens, ſuas partes aliquando minori luminari lu-
næq; committens; quæ tamen nec propria luce, ſed ab ipſo ſole
obtenta, nec ſemper ſed intercalatis vicibus nobis affulget. Pro
fundiſſima profectò arcana. & noſter Angelus myſticæ Vrbis,
quaſi noui orbis Princeps ſolis faciem habet, dum & ipſe vni-
uerſali Eccleſiæ, cuius eſt caput, ſicut ſol vniuerſis corporibus,
radios immittit, omnes ad gratiæ vitam eleuat, ad virtutum

meri-

meritorumq; operationes excitat, dirigit, & roborat. Ex quo Paulus gloriatur Viuo autem iam non ego, viuit vero in me Christus; *In fonte baptiſmatis omnes Chriſticolas proprio merito, propria fide, influentiq; virtute progignit; interius præcipuè in fidelium animis exteriuſq; in corporibus influit luce quidem, ac gratia, qua & ſi vna ſit re cum gratia habituali ipſius vt peculiaris homo eſt, differt nihilo ſecius ratione, cum ſit gratia capitis; ſuas partes quo ad exteriorem gubernationẽ alijs committens (interior nanq; influxus ei proprius eſt) lumi nari nempè minori, ſummo ſci. Romano Pontifici, qui ad lunæ inſtar nec propria auctoritatis luce gubernat Eccleſiam, nec ſemper idem perſeuerat, ſed huic alter iuxta mortalis naturæ neceßitatem, quaſi varia lunæ mutatione, ſuccedit. Quid altius, quid lucidius, perſpicaciuſq; dici poterat?* Et facies eius ſicut ſol, Pedes autem eius tanquam colũna ignis, & habebat in manu ſua libellum, poſuitq; pedem dextrũ ſuper mare, ſiniſtrum autem ſuper terram. *Qui pedes oro? Nõnè illi quos tantoperè Pſalmiſta extulit,* Omnia ſubiecisti ſub pedibus eius, oues, & boues vniuerſas, inſuper & pecora campi? *ſubiecit pedibus Chriſti cuncta Deus, & ignitis pedibus, dum omnes eius iudicio ſubiugauit; quod idem alio loco precatus eſt.* Deus iudicium tuum Regi da, & iuſtitiã tuam filio Regis. *Iudiciariam nanq; babet poteſtatem, non ſolum iuxta diuinam naturam, ſed ſecundum humanam; etiam peculiari quadam excellentia, quod ſibi & gratia diuinæ perſonæ in qua ſuſtentatur, & velut Eccleſiæ capiti, & Principi, ex gratię plenitudine, & ratione ſui meriti conuenit; qua cum omnes non ſolum homines, ſed & Angelos ſit iudicaturus, meritò libellum in manu gerit, ubi omnium malè, rectèq; geſta relucent; vt inde rectos iuſtitiæ corona cum Paulo coronando, malos verò puniendo, vt Princeps myſticę ac cęleſtis vrbis pedem dextrum ſuper mare electorum dirigat ea pradulci voce.* Venite benedicti patris mei poſsidete paratum vobis Regnum a conſtitutione mundi; *ſiniſtrum verò ad terram malorum extendat illam in eos horribilem proferendo ſententiam,* Diſcedite à me maledicti in ignem æternum; *vt ſic inimicos ſuos ſcabellum habeat pedum ſuorum. Angelus ille Ioannis,*

Gal. 2.
Pſal. 8.
Pſal. 72.
Matt. 25.
Ibid.

qui cæleſtis eſt, ac fidelis Imperij excelſus Princeps.

SACERDOTES.

S*Acerdotes ſupernæ huius Ciuitatis inſinuabat Ioel Propheta, dum eos plorantes dicebat inter veſtibulum & altare, ac pro ſalute ciuium ad Deum clamantes.* Parce Domine parce populo tuo. *Clamant ſacerdotes. ſcripturas obſecro*

Ioel. 2. *conſulamus, vt innoteſcat quid primò cœperit ad Deum de terra clamare. Ecce in Geneſeos libro.* Vox ſanguinis fratris

Gen. 4. tui clamat ad me de terra. *quis clamat? ſanguis. quid poſcit? Vindictam. quando? in initio temporis iræ poſt primum lapſum homicidij. Quid igitur erit in noua ſeculi immutatione, in initio temporis miſericordiæ, & longanimitatis Dei? vt ſanguis de terra clamet. Cuius? Lateris Chriſti, paſſionum eius, ſuorumq; quomodolibet meritorum. Quid expoſcet? Pacem, miſericordiam, liberationem, reconciliationem; parce domine, parce popu-*

Epheſ. 1. *lo tuo. Ideò Apoſtolus ſcripſit.* In quo habemus redemptionem per ſanguinem eius. *Merita igitur redemptoris, quibus ſibi & nobis, non ex priuilegio tantum, ſed ordinariè promeruit, ſacerdotes ſunt Ciuitatis diuinæ. Ipſe nanque non ſolum hoſtia, ſed & ſacerdos eſt Eccleſiæ manens in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech, qui & mediat inter Deum, &*

1. Tim. 2. *nos, iuxta Pauli teſtimonium.* Vnus eſt mediator Dei & hominum, homo Chriſtus Ieſus. *Et pro ſalute inſtat, eamque cauſat: inſtat dum meretur illam merito equidem infinito, quo cæpit in inſtanti primo ſuæ conceptionis promereri; quo & ſibi quamuis non viſionem beatificam, gloriam tamen corporis, nobis verò omne quomodocunque neceſſarium commodū pro ſupernâ fœlicitate obtinenda promeritus eſt; vndè vt millies proponunt diuina documenta ſeſe Chriſtus ſacrificium, hoſtiamq; puram, ac illibatam pro Eccleſiæ ſalute obtulit Deo. Noſtram vlterius cauſauit ſalutem efficienter, ſatisfactoriè, & redimendo nos a ſeruitute peccati, propriè ideò redemptor nūcupatus; & ſi iure aliquo redemptio in ſummam Trinitatem reduci poſſit. Efficaciſſimus ſanguinis huius clamor, proficuum apprimè ſacerdotium ac mediatio iſta, quæ iugum peccati a*

ceruicibus

ceruicibus noſtris abiecit, vectes ferreos inferni confregit, noſque a poteſtate Diaboli liberauit, pœnæ debitum perſoluit, iratum Deum nobis reconciliauit, & placabilem reddidit, cœli ianuas aperuit, in omnibus pacem effudit. Quo circa non abs re in eius exortu decantarunt Angelorum turbæ. Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus. Luc.2.

SENATORES.

Senatores vrbis ſuæ vigilantiſſimus elegit Princeps, quibus, & leges, & facultatem populum ſuū regendi tribuit, quoſque ſenatorijs exornauit inſignib. Hi Apoſtoli ſunt, primitias ſpiritus a Chriſto habentes, qui quamuis omnes, vt oues Chriſti Petro vniuerſali Eccleſiæ Paſtori eſſent ſubiecti, vt Apoſtoli tamen æqualem ordinis iuriſditioniſq; poteſtatem habebant, ex ore ſaluatoris, vnde ſuauiſſimos cæleſtis ſapientiæ fauos collegerunt, obtentam. Senatorijs ornamentis illuſtres, proprij ſci. ſanguinis effuſione, quod eis ſignificauit Chriſtus ea interrogatione. Poteſtis bibere calicem, quem ego, bibiturus ſum. Matt. 20. *Cum his tandem Chriſtus omnes Iſrael tribus iudicabit, vt factā ſponſionem impleat.* Cum ſederit filius hominis in ſede maieſtatis ſuæ; tunc ſedebitis & vos ſuper ſedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Iſrael. Matt. 19.

MILITES.

Milites noſtram vrbem cuſtodientes, & pro eius tutela pugnaces inimicos ab iniurijs arcentes is enumerare poterit, qui & ſtellas cœli, & maris guttas, & arenę grana ad calculum redigere valebit, quod fatebatur patientiſsimus Iob, dicens, Nunquid eſt numerus militum eius? *Innumerabilis hic exercitus, Angelorum eſt copioſiſsima multitudo omnium corporalium ſpecierum copiam longè latèq; excedens, teſtante Euangelio,* Et facta eſt cum Angelo multitudo militiæ cæleſtis laudantium, & dicentium, Gloria in excelſis. Iob. 25. Luc. 2. *Hi (vt eos iuxta inſtitutum deſcribamus) incorporei, immateriales, & incorruptibiles cum ſint, ſummo vigent intellectualitatis*

litatis acumine, intelliguntq; non operatione quę eorum eſſe ac ſubſtantia ſit, ſicut nec virtute quę idem ſit cum eſſentia, ac natura; nec etiam per eam virtutem quæ propriè in poſſibilem, agentemve partem diſtribuitur, ſed per lucidiorem intellectiuā aciem quacunq; noſtra; non per ſpecies à rebus acceptas, ſed per inditas elargitaſq; ſibi ab intelligibilium lumine, quęcunque à Deo condita ſunt proſpiciunt, materialia ſint, ſiue immaterialia, communia ſiue particularia, pręſentia ſiue prateri ta, non
Ier.17. *autem futura variabilia, nec cogitationes cordium*, nam inſcrutabile eſt cor hominis, & quis cognoſcet illud? *Deum autem omnium conditorem, ac ſemetipſos intellectionem elicientes, non in ſuperadditis ſimulacris, ſed in propria intuentur eſſentia, non diſcurrentes, nec compoſitione, aut diuiſione vtentes, at ſimplici proſpectu; vnde decipi non poſſunt, ſaltem quò ad naturalia, quamuis in ordine ad ſupernaturalia falſum per accidens admittant, plura ſimul cognoſcentes, ſemperq; actu intelligentes, et ſi non vndiq; potentiam excludant: hac tamen cognitione, quamuis perſpicaciſſima, ad gratiæ dignoſcenda myſteria non eleuantur, ſed quicquid ea percipiunt, hoc ſolammodò à beatifica verbi cognitione ſortiuntur ſicuti Tharſenſis Corin*
1. Cor.2. *thios admonebat.* Quæ ſunt Dei nemo cognouit niſi ſpiritus Dei, *Cæterum nec beatifica cognitione, omnia gratiæ myſteria luſtrant, nec eadem ſinguli aut vniuerſa ſimul quæ intelligunt proſpiciunt. Intellectionem ſequitur affectus intellectiuus, voluntas ſci: quæ pariter eſt realiter ab eorum eſſentia ſciuncta, ſicut & velle ab eſſe ipſorum. quæ quidem et ſi in eis iraſcibilis, & concupiſcibilis differentia non ſecetur, attamen arbitrij libertate pollet, excellentiore humana, etſi indigniore diuina; hac diligit naturaliter, & electiuè; vtroq; modo ſemetipſum, naturaliter alios etiam, imò natura impellente. vnde oritur electiuus Amor, potiſſimè magiſque ſemetipſo Deum. Tales igitur milites perſpicacitate rationis, voluntatiſq; imperio ita præditos, Eccleſiæ ſuæ vt cuſtodes pręfecit ſupernus Princeps, Qui in varias Hierarchias, illæ in ordines, & hy in Angelos ſpecie diſtinctos (Cum ſinguli Angeli ſpecie vltimò diſtinguantur) veluti in legiones ac Centurias ordinatiſſimi exercitus diſtribuuntur. Ordo verò effluit ab eorum diſtantia*

natu-

*naturali quaſi ab origine prima, & per gratię diſpoſitionem cō-
pletur: Ipſorum machinamenta pro hac ſanctiſsima arce tuē-
da varia ſunt; aliquando videlicet corpora aſſumunt, quamuis
ea non habeant ſibi naturaliter vnita, in quibus aliqua vitæ o-
pera exercent, aliqua nequaquam; Citiſsimè, vt omnibus neceſ-
ſitatibus ſe paratos exhibeant, motu locali mouentur, tum di-
ſcreto, & hoc in inſtanti, tum continuo, & hoc in tempore: lo-
cali motu quidem, qui non circunferri extenſiuè circa locum ſit,
ſicut nec eſſe in loco, eſt taliter a loco circunſcribi, ſed ſola ope-
ratione circū duci, atq; in loco ſtatui; quia media eius ſubſtantia
& circa locum mouetur, & in loco ponitur, ea lege tamen vt
plures in vno eodemq; loco adæquato reperiri non poſſint. Ali
quando materialia iſta quæ illis ad nutum quò ad motum loca-
lem obediunt, iuxta opportunitates hinc inde deuehunt: noſtras
imaginationes ordinant, & diſponunt, mentes illuminant, vo-
luntates ad bonum alliciunt, nil tandem prętermittunt, quod
operis munerisq; ſui ſit pro Eccleſiæ pace, ac ſalute firmanda.
ſe adinuicem multoties alloquuntur, auditurq; loquens ab eo
cui loquitur, non a cæteris: pulſant ſæpè orationibus Deum ip-
ſum pro impetrandis huic vrbi diuinis auxilijs, & vt pluries
petita obtinent ſuffragia; grati nanq; Deo ſunt. Qui in gratia
creati fuere, ea etenim egebant vt conuerterentur in Deum, in-
de Apoſtolus.* Gratia Dei vita æterna; *imò participes iam* Rom. 6.
*facti ſunt diuini conſortij in epulis beatitudinis, quam & ſi me-
ruerint, in ſecundo tamen inſtanti obtinuerūt; diuerſimodè qui-
dem ſecundum diuerſam naturalium capacitatem; Ideò quaſi
domeſtici, Dei commenſales, multa pro nobis efflagitant, mul-
taq; nos per ipſos aſſequimur; vt inſigniter in eos illud Pſalmi
vſurpari poßit,* Non dormitabit, neq; dormiet qui cuſto- Pſ. 120.
dit Iſrael. *Cuſtodes equidem vigilantiſsimi, qui non ſolum in
communi ſunt vniuerſitatis Eccleſię defenſores, ſed ſingulis ho-
minibus, etiam ex infimo Angelorum ordine, ſinguli deputan-
tur; & celſioris gradus hominibus, atq; eorundem multitudini
ex altioribus ordinibus Angeli ad cuſtodiam præponuntur. In
qua ita inuigilant, vt nunquam aſſeruatos (quos ſuæ curæ cō-
miſſos ab eorum natiuitate ſuſceperunt) deſerant, vt offenden-
tes peccatorum lapides, ſi libuerit, ipſis coadiuuantibus valeāt*

decli-

Pſal.141. *declinare.quos prodidit, qui ſcriptum reliquit.* In via hac qua
ambulabam abſconderunt laqueum mihi. *Et quamuis eo-
rum fęlicitas amaritudinem triſtitię ob amiſſionem cuſtodito-
rum non ſentiat, ita tamen anxiè pro ſibi commiſſis laborant,
vt multoties, licet impropriè, aliqualiter tamen eorum gratia
adinuicem certare videantur. Propugnatores acerrimi, mili-
tes ſolertiſſimi, robuſtiſſimi defenſores, & quales decebãt cęle-
ſtem Principem, qui illos poſuit vigiles ſanctæ Eccleſiæ electæ
Hieruſalem, ac myſticæ vrbis, ſecundum Regij vatis oraculum.*
Pſal.90. Angelis ſuis Deus mandauit de te, vt cuſtodiant te
in omnibus vijs tuis.

MERCATORES.

*NOn indiget profectò extero mercium auxilio affluentiſſi-
ma noſtra Ciuitas in qua ab vberrima Principis ſuffi-
cientia, ac liberalitate, omnibus exhibetur quicquid ad ſuſten-
tationem non carnalis, ſed ſpiritualis vitæ neceſſario, ac com-
modè vnicuiq; conducere poteſt. Attamen mercatoribus non
caret qui è longinquis regionibus Naturalium diſciplinarum
merces ad Emporium ſacrę Theologalis diſciplinæ certatim
deferunt, vt ijs hæc noſtra Reſp. quaſi ancillis vtatur, atq; ad
arces vocet dum illarum vtitur bonis. Delatà verò innumera
ferè ſunt a compluribus ſacri Gymnaſii doctoribus elaborata;
quorum aliqua, ea quę naturali lumine de Deo perueſtigari poſ-
ſunt, certitudine oſtentant; aliqua, quæ fidei ſunt confirmant,
& roborant: nulla tamen credita dogmata deſtruunt, cum ve-
rum vero non opponatur, ſed ea potius ſuadent. His omnibus
vtitur Ciuitas Dei non neceſſitate compulſa, ſed potius ad abũ-
dantiam, & largiorem affluentiam nec non ad ipſarum ancil-
larum, & mercium ſpecimen & ornatum.*

AGRICOLAE.

Matt. 21. *EIuſdem Ciuitatis agros colunt ſerui illi Euangelici qui ite-
ratis vicibus a Patrefamilias ad viſendam vineam mit-
tuntur, vt curent operarios in eam introducere, faciantq; pro*

virili, vt ſuaues reddat fructus, & ſi multoties oppoſitum ſequatur. inde non iniuria apud Prophetam queritur Dominus. Quid vltra potui facere vineæ meæ, & nõ feci? *& tamen ſequitur (ita inculti ſunt homines huius ſæculi)* Expectaui vt faceret vuas, & fecit labruſcas. *Prophetæ igitur ante Chriſti aduentum, poſtea Prędicatores, ſanctæ Vrbis Agricolę ſunt; illi qui admirabili quadam prophetica cognitione fulgent, quam non ex diſpoſitionibus naturæ, nec ex merito bonorum morum, ſed ex diuina voluntate, hoc eis pro voto, medijs Angelis illuminantibus, elargiente, obtinent: quæq; non eſt cognitio per modum habitus, ſed actus a Spiritu ſancto reuelãte effluens; per quam non ſolum futura contingentia, ſed multa alia annuntiant diuinę prędeſtinationi, reprobationi, aut commi-nationi ſubiecta; nec tamẽ omnia annuntiata omnibus vicibus proprio obtuitu cognoſcunt; quamuis hoc interdum accidat. Hæc eiuſmodi eſt, vt non ob hoc Prophetę diuinam eſſentiam introſpiciant, ſed eorum ſoli menti, vel imaginationi tantùm, noua rerum prædicendarum ſpecies non a ſenſibus, ſed a Deo immiſſæ alluceant, vnde mouentur ad ea quæ prędicunt enuntianda, in quibus falſitas cadere non poteſt, cum ab ipſa veritate dependeant; Hac ſolebant cultores illi vineæ Domini, populi peccata increpare, ruinas ipſorum prædicere, mala præmonſtrare, & tandem omnium redemptorem præconizare. Euangelicæ autem legis concionatores prophetis ſuccedunt; illi ſci. qui diuino repleti ſpiritu continuè cum doctore gentium arguunt, obſecrant, increpant, opportunè, & importunè Chriſtiani populi crimina; qui non in plauſibilibus humanæ ſapientiæ verbis, ſed in ſimplicitate veritatis terram iſtam viatricis animæ in omni patientia, ac labore, diuini verbi, ac piæ ſpiritualis doctrinæ ſemine fœcundare conantur, vt de eis ad inſtar Agricolarum illud Dauidis verificetur.* Euntes ibant & flebant mittentes ſemina ſua, venientes autem venient cũ exultatione portantes manipulos ſuos.

Eſa. 5. — 2. Tim. 4. — Pſ. 125.

FVNDAMENTVM MAENIA, & Turres.

ADeſt iam certè tempus vt ab incolis ad manſiones ſermonem conuertamus, perpendentes quod nam almæ huius vrbis ſtabile fundamentū, qui circū ambientes parietes, quę in excelſum ductæ turres, vbi conſueſcunt huius ſęculi ciues ab inimicorum ferarumq; iniurijs illæſos ſe ſeruare. Fateor ego libenter, coguntur q; vniuerſi etiam renuentes fateri, præclaram iſtam mundi vrbem Romam firmiſſimis innixam eſſe fundamentis, męnijs ampliſſimis circumvallatam, erectis in altum turribus, & quod ſummè decorum eſt, altiſſimis precioſiſſimiſq; exornatam obeliſcis. Singularis Beati Sixti V. Pōt. Max. magnanimitatis æterna certè inditia. Veruntamē ſtabiliora ſunt myſticæ vrbis fundamenta, extenſiora męnia, altiores turres, quæ non minori cura, ac vigilantia quotidiè ab eodem ſummo Paſtore pro ſui animi pietate, & religione in fidelium cordibus erriguntur, atq; firmantur; & vt iam a fundamento exordiar, hoc

1.Tim. 1. illud eſt, de quo aiebat Apoſtolus, Aedificationem Dei quæ eſt in fide. Fides ideò eſt vbi ędificatur Ciuitas noſtra; ex eiuſ-

Rom.4. dem verbis. Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt ei ad iuſtitiam. quæ cum ſit virtus intellectum perficiens, in eo quaſi in ſubiecto quieſcit, alijs virtutibus intellectualibus certior, theologalibus autem per ſe prior; & vt idem protulit.

Eph. 4. Vnus dominus, vna fides. cuius auctor eſt Deus, qui eam noſtris mentibus infundit, nobiſq; illam donat, cuius forma eſt charitas, ſicut ſunt apparentes fundamēti partes parietes; quæ nunc formata, nunc informis per eius præſentiam vel abſentiam efficitur, hac virtute ſubleuatur ſupra ſuas naturales vires intellectus creatus, cum eum erigat ad illorum cognitionē, quæ ſibi proprio lumine occuluntur, quandoquidem ſic Hebrais

Heb.11. deſcripta venit. Fides eſt ſubſtantia ſperandarum rerum, argumentum non apparentium: tantęq; dignitatis eſt, vt pro obiecto veritatem ipſam primam ſub ratione ſuperſubſtātialis Deitatis anquirat: ideò nulla falſitatis labe maculatur. Per ipſam credenda in aliquos famoſiſſimos diſtribuuntur articulos, congruèq; recenſitos, ac in fidei ſimbolo recitatos; qui

per

perpulchrè apprimè in duodecim illis pretioſis lapidibus, quos duodecim fundamenta ciuitatis Ioannes in Apocalypſi vidit Apo.21. *deſignantur: eos enarrauere Chriſtus & Apoſtoli; & ſucceſſu temporis latius Eccleſiæ doctores explicarunt. Proponit nanq; Eccleſia credibilia, & ipſa veritas prima aſſenſum circa ipſa in nos inducit. Actus huius virtutis eſt (ad aures D. Auguſtini) cum firmiſſimo aſſenſu cogitare; quod ab eo Doctore in tres partes ſeiungitur, credere Deo, Deum, & in Deum: eò vſque autem neceſſarium eſt fundamentum iſtud, vt quamuis meritoriũ ſit quia,(* ſancti per fidem adepti ſunt repromiſsiones,*) ta-* Heb.11. *men ſine eo ad patriæ ſtatum peruenire non poſsimus, vt peruulgatum eſt.* Sine fide impoſsibile eſt placere Deo. *Neque* Ibid. *verò omnibus omnium credendorum neceſſaria eſt explicita fides, ſed ijs duntaxat, qui in hac Eccleſiaſtica Hierarchia ſuperiorum Angelorum ſimilitudinem gerentes, illa explicite credere aſtringuntur, de quibus debent inferiores inſtruere, quibuſque ſufficit horum implicita fides. Nullos tamen Chriſticolas neq; explicitè latere decet ſacratiſſ. Trinitatis incarnationiſq; myſteria,* Nec.n. aliud nomen eſt ſub cœlo datũ homini- Act.4. bus, in quo oporteat nos ſaluos fieri; *cumq; Baptiſmatis lauacrum per imploratam ſanctiſſ. Trinitatem impleatur, præcipiente Euangelico legiſlatore,* Baptizantes eos in nomine Matt. vlt. patris & filij, & ſpiritus ſancti. *Hic mentis intimus ergà diuina aſſenſus non ſufficit ad ſalutem, ſi tantum in ſcrinio cordis recõditus ſeruetur, ſed neceſſarium eſt data opportunitate per vocem exterius propaletur, vt ſcriptum eſt.* Habentes eundẽ 2. Cor.4. ſpiritum fidei credimus, propter quod & loquimur. *Quocirca etſi liceat ſanctæ vrbis ciuibus fundamentum fidei aliquando occulere, negare tamen nunquam; Hæc lapis ille angularis dici poteſt, qui fecit vtraq; vnum, coniunxitq; hominibus Angelos, cum tam illi in ſua conditione, quàm iſti in hac vita eandem habuerint fidem, imò ita vnum omnia credibilia facit, vt qui vno articulo proteruè diſſentiat, fidem etiam informem, quamuis cæteros credat, non habeat. Gradus ſecundum magis minuſue in diuerſis fidelibus & ipſa recipiens, ſicut Petrum redarguit ſaluator.* Modicæ fidei quare dubitaſti? *Cum ta-* Matt. 14. *men ex oppoſito mulierem Cananæam laudibus extulerit,* Mu-

Matt. 15. lier magna eſt fides tua. *Hæc vt rectè firmet, quaſi ſolidum
fundamentum in hominum cordibus Dei ędificium atq; ſtru-
Act. 15. *cturam, animum purificat, vnde Petrus,* Fide purificans cor-
da eorum. *Timorem parit vt excitentur inde amoris mænia,*
Ecclesi. 1. *ideò ſapiens aſſeruit,* Initium ſapientiæ eſt timor Domini,
ſed a fundamento iam recedamus; & ad altiſſimam noſtræ ciui
tatis Turrim, ad magnificum obeliſcum, nō Cæſaris prophanos
conſeruantem cineres, ſed Chriſti occumbentis, Chriſtiq; reſur-
gentis ſacram memoriam cuſtodientem, acceſſuri quid ſpes ipſa
ſit, Turris ac obeliſcus ſpiritualis Eccleſiæ, explicemus. Virtus
Theologalis & ipſa eſt, a fide & charitate diſtincta, cuius ſu-
biectum voluntas fidelis aſſignatur; obiectum ad quod velut in
faſtigium altitudinis ſe extollit, eſt ſummum bonum futurum
ſperanti acquirendum: quod cum ex ſolo Dei beneficio obtineri
poſſit, ideò nefas eſt in aliqua creatura, tanquàm in primo diri-
gente (licèt vt adiuuante) confidere. Maledictus namq; ho-
Ier. 17. mo qui confidit in homine; *Hęc ita lętanter in optatum*
tendit finem, ſic procul ab omni hæſitatione ad ipſum anhelat,
vt cū Paulo ploret. Infelix homo quis me liberabit de cor
Rom. 7. pore mortis huius. *Hæc quidē nō penetrat ad beatorum ani-*
mos, quia per claram concupiti viſionem in diuerſum perficiū-
tur habitū; nā quod videt quis, quid ſperat? nec etiā vſq; ad pe-
Rom. 8. *ctora damnatorum deycitur;* Spe. n. ſumus ſemper gauden-
tes, *at quale gaudiū illis, qui in æternis tenebris ſedēt? impia hę*
reticorū corda velociter fugit, fundatur etenim in fide, qua ſu-
blata ruit, et ipſa; ſed ſolūmodò in viatorū animis bonis ſiuę ma
lis, ac apud illos qui in purgāte Eccleſia detinētur, reſidet; indi-
uidua fidei comes, quam non præcedit, ſed ſubſequitur; charita-
ti vt plurimum conſociata, cum qua an in eodem actu volun-
tatis ſecundum ſubſtantiam conueniat, diſputationi tribuitur.
Ambæ in Eccleſię ciuitate ad eius tutelam poſitæ ſunt, ſed di-
uerſa ſorte; illa vt velut è ſpecula euigilet, prudentes enim ac
vigiles virgines, non ſoporoſæ & negligentes cum ſponſo intro-
ierunt ad nuptias, iſta mœnium inſtar circumprotegat vrbem, in
vnumq; ciues coniungat. Turrim hucusq; ſuſpeximus, ad Mœnia
properemus. Charitas quæ parietis locum in noſtra ciuitate
occupat, virtus etiam ipſa Theologica eſt, ab alijs realiter,

ac ſpeciatim diſtincta, vt habetur ex Paulo. Nunc autem manent fides ſpes charitas: aliarum prꝙſtantiſſima & excellentiſſima, iuxta vulgatum eiuſdem prologuium. Si habuero tantam fidem vt montes transferam, charitatem autem non habuero nihil ſum. Non enim hic eam deſcribimus charitatem, quæ amicitia humana dicitur, moralis virtus a iuſtitia cæteriſq; virtutibus eiuſdem officinæ aliquo pacto diſtincta, aliquo non, hinc parumper ſuper alias ſe extollens; ſed illam etſi balbutiẽdo proponimus, quæ Spiritus ſancti cęleſte donum eſt, hoc atteſtante ſcriptura, Charıtas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per ſpiritum ſanctum qui datus eſt nobis; quæq; ideò quò ad ſui quantitatem non naturæ noſtræ conditionem, aut virtutis naturalis menſuram ſequitur, ſed ſolum diuinæ voluntatis ſtatutum, quod conatum, diſpoſitionemq; affectus noſtri pręcedit ac mouet, vt ad tantam non minorem, neq; maiorem charitatem accipiendam ſe diſponat, quam metam ſacrę litterę præfixerunt, Spiritus vbi vult ſpirat. Hæc tantę dignitatis eſt, vt animã ipſam, in cuius virtute, nẽpè voluntate recipitur, modo quodam antecellat, alias autem virtutes ita præcellit, vt eas definiat ſitq; illarum forma effectiua & finis, dum illas in ſuos dirigit fines. Itaq; omnes ab ea fouentur, nutriuntur & ſuſtentantur; qua de re nulla ſine ea eſt ſimpliciter, vera, & perfecta virtus, quamuis hoc nomine diminutè gaudeat; Et demum ipſa eſt quæ velut Regina aliorum habituum, & (ne a tropo præcipuę ſimilitudinis recedamus) velut tutiſſima immaculatæ ciuitatis męnia, per modum imperij ad omnes humanos actus gubernandos ſe extendit. At quæ eius ſubſtantia? quæ tam pręclari entis natura? Ipſa eſt amicitia quędã, ac mutuus Amor cum beneuolentia, qui fundatur in aliqua cõmunicatione, qua quomodo cum Deo ipſo pręcipuo charitatis obiecto iungamur diſcamus a Gentiũ Magiſtro. Fidelis Deus, per quem vocati eſtis in ſocietatem filij eius, & a Domino. Iam non dicam vos ſeruos ſed amicos meos. Amicitia in primis eſt, at non vtilis nec delectabilis, ſed honeſta, quam ſi intimius rimari volumus, ac materialiter, videbimus ipſam qualitatem quandam creatam eſſe, quæ cum finita ſit in ſe, quamuis infinitum quid faciat, ideò augmentum propriè di-

1. Cor. 11

Ibid.

Rom. 5.

Io. 3.

Cor. 1.

Ioan. 15.

minutio-

minutionemq; aliqua ratione patitur, Meretur charitas auge-
ri (inquit Auguſt.) vt aucta mereatur & perfici;habet nanq;
virtualem quandam quantitatem,per quam non ſecundum ad-
ditionem actus ad actum,ſed ſecundum maiorem ſubiecti actua
tionem,informationemq: accreſcit. Nec officit eius augumento
quod in obiectum videlicet diuinum feratur ſuperius ac maius
non admittens,intenditur nanq; actus,obiecto non mutato:nec
quolibet actu dilectionis augetur charitas, aut id obtinetur
licet mereatur ; ſicut nec quilibet actus charitatis aſſequitur
beatitudinem,quã tamẽ promeretur, ſed ille qui in vltimo viæ
elicitur: ſic etiam quamuis ſinguli eius actus diſponant ad cha-
ritatem ampliandam, non tamen augent,ſed illi ſolummodò in
quibus peculiaris quidam conatus hominis exprimitur ad eius
augumentum recipiendum : Hinc autem non euenit quenquam
ſemper in via Dei pergere non poſſe, cum diligentis ipſum greſ-
ſus protendantur non ad augendũ hunc amorem,ſed ſeipſos di-
ſponendos ſemper vt maior cumulus adijciatur. Adoleſcere au-
tem ex eo ſigno comperimus,quum ſpiritualis amator,inferuen-
tiorem ſemper,ardentioremq; amoris actum erumpit. Diminu-
tionem autem patitur quodammodo , quando ſci. diſponitur
homo continuè ad eius ammiſsionem,& corruptionem, & hoc
venialiter peccando,vel ab operibus pietatis,& charitatis ab-
ſtinendo;impropriè tamen eſt diminui,cum nec ex parte ſubie-
cti, nec obiecti tale decrementum accidat, ſed vel tota manet,
vel ſimul tota remouetur. Hoc concinnè quidem ſub ignis typo
Can.8. proponebat Salomon. Lampades eius lampades ignis atq;
flammarum. In patria verò nullam nanciſcitur acceſsionem,
quamuis conueniat cum iſta in ſpecie,ibi nanq; perfecta eſt,hic
ſemper incipiens , aut proficiens deprehenditur : vnde etſi ali-
quam charitati,quæ in viatoribus eſt, perfectionem conceda-
mus,non tamen eam omnibus numeris abſolutam prędicamus:
illa deperdi nequit, eaq; ſemper pariter ſanctorum flagrant cor
da fęlicia,hęc de facili a quacunq; perpetrata culpa,ſi ſit mor-
tifera,propellitur,qua occaſione Epheſi Eccleſię ſcribitur. Ha-
Apoc.2. beo aduerſum te pauca quod primam charitatem reli-
quiſti. Modò videamus ad quę diligenda ſe extendat. Ad Deũ
1.Ioa.4. proculdubio,& ad proximum. Hoc enim mandatum habe-

mus

mus a Deo, vt qui diligit Deum diligat & fratrem ſuũ. *Compertum omnibus eſt quis Deus ſit, qui charitate adamandus proponitur; reliquum eſt vt quis nam frater ſit qui ei vna diligendus adiungitur, quæramus. Certè hic non ſolum conſanguineus eſt vel affinis, non cęteri modo fideles amici, ſed & inimici quatenus proximi ſunt; peccatores etiam quò ad naturam & ſi non vt peccatores; Angeli, haud quaquam Dęmones, docet id Propheta,* Delebitur fœdus veſtrum cum morte, & pactum veſtrum cum inferno non ſtabit: *Corpus adhuc proprium, naturaq; diligentis ſub hac lege cadit. Nam* Diliges amicum tuum ſicut te ipſum. *Hos omnes veræ flammiferæq; charitatis bracchia complectuntur, nec iſtos tantum, verùm irrationales creaturas. Amplius & charitas (mira diuini huius ignis efficacia) charitate ipſa diligitur. Ordinatè tamen in eorum dilectione incedit, vt in Canticis innuit ſponſa.* Introduxit me Rex in cellam vinariam, & ordinauit in me charitatem, *adeòq; ordinauit, vt cęteris virtutibus ordinatiorem proculdubio fateamur: taliſq, eſt ordo, vt Deum ſuper omnia, etiam ſupra ſe ipſum amore cum naturali, tum libero diligere debeat charitati addictus, inde animam ſuam, poſtea proximi ſpirituale bonum, vlterius proprij corporis decentia bona; inter proximos autem coniunctos prius quàm alios, amicos plus quàm inimicos, cum maioris meriti ſit amicum magis, quam inimicum diligere. Demum omne aliud amatum ad Deum reduci in ipſumq; reflecti neceſſe eſt, nempè cuius gratia cætera adamentur, ipſe verò propter ſeipſum, & immediatè diligi debet totis viſceribus, toto corde, tota affectus propenſitate, ita vt pernicioſum ſit in hac re modum quærere, quæ eò perfectior eſt, quò maior ardentiorque reperitur. Verum ne aliquid huius cęleſtis virtutis intactum relinquamus, explicemus eius actus, & effectus. Illius actus amare potius eſt quam amari; amare quidem quod vltra beneuolentiam, dulciſsimam quãdam affectuum coniunctionem includat. Fœtus verò, & effectus, quos interius in diligentis corde concipit, exteriuſque in eius operibus parit, primi ſunt, Gaudium, pax, & miſericordia; poſteriores, Beneficentia, eleemoſina, & fraterna admonitio. Tot prærogatiuis, tot proprietatibus, tot obiectis ita diſpoſitis,*

Eſa. 28.

Leuit. 15.

Can. 2.

tot actibus, deniq; tot effectibus fulgent velut tot pretioſiſſimis gemmis myſticæ noſtræ orbis mænia, qualia contemplatus eſt Apoc 21. *Ioannes.* Structura, & muri eius ex lapide Iaſpido.

IANVAE.

I*Annuas Ciuitatis inter mirabiles raptus ac viſiones vnus ex ſeptem Angelis oſtendit ei qui iam ſupra pectus dominicum recubuerat; qui ſe ſublatum in ſpiritu vidiſſe retulit.* Murum Apoc. 21. *(Ciuitatis Hieruſalem ſanctæ)* Magnum, & altum habentem duodecim portas, & in portis Angelos duodecim, & nomina inſcripta duodecim tribuum filiorum Iſrael, *quæ quidem per Ciuitatem ita erant diſtributæ, vt ad ſingulas orbis plagas tres vergerent, quæ cum quattuor eſſent, iſtæ ad duodenarium numerum concreſcebant. His arcanis illud additum comminiſcor, quod certè myſterio vacare non credo, Romanam hãc perilluſtrem vrbem (vt recenſent aliqui antiquiores hiſtorici) in initio ſuæ extructionis, triginta & ſex ianuis patuiſſe. Singula nanq; mirificæ noſtræ vrbis aperta fuere præſagia, ſed iam recondita reſeremus. Quaternitas illa plagarum ad quas ſingulas tres erant conuerſæ ianuæ nominibus tribuum inſcriptæ, omnium fidelium populum inſinuat, per quattuor orbis partes abundè diſperſum: in omnibus enim latibulis vniuerſi annuntiatum eſt Chriſti nomen, & gloria: Prima trinitas, quæ duodenarium portarum numerum in trigeſimum ſextum, vt erat in Triumphante Roma, adauget, eſt militantis, purgantis, & triumphantis Eccleſiæ trinitas, in quibus ſingulis trina illa quaternitas tantùm reperitur: ſecunda tamen trinitas portarum in ſingulis plagis reperta, tria quidem ſunt ſacramenta Baptiſmus ſci. Pœnitentia, atq; Extrema vnctio per quæ vel introire, vel exire ab hac ſancta vrbe licet, quę vt pro poſſe explicemus, primò quid in communi ſacramenta ſint aliqualiter proponamus, indè ad ſingula breuiter diſcurrendo veniemus. Sacramenta igitur elementa quędam ſenſibilia determinata ſunt, ex ſtatutis rebus, ſtatutiſq; verbis conflata, ſacrum quid ſignificantia, ſacrum quid continentia, ſacrum quid efficientia, noſtrę equidem ſaluti poſtlapſum neceſſaria, non autem*

in ſtatu innocentiæ, Non enim (*ait Dominus*) valentibus eſt opus medico. *Hęc quę a ſola diuina inſtitutione apud homines emanarunt, in ſua collatione primum operis auctorem Deum ipſum ſibi vendicant, miniſtrum verò pręcipuum, & primum Chriſtum Dominum, qui efficienter ac meritoriè efficaciã ipſorum cauſat, deinde ſecundos miniſtros habent fideles homines ſiue bonos ſiue malos, non quidem Angelos (niſi ex peculiari diuina diſpenſatione, atq; ordinatione) tantiq; vigoris ſunt (quem obtinent a Chriſti diuinitate effluentem, ac per ipſius humanitatem & paſſionem tranſeuntem, & ad ipſa deſcendentem) vt iure dicat Auguſtinus, Corpus exterius tangentia, interius animam, quam gratia decorant, abluere; pulchritudinem nanq; gratię in anima cauſant; qua in re noua hæc Chriſtianę legis ſacramenta illa veteris teſtamenti pręcellunt. Vltra quem effectum aliqua ex illis in intellectu ſignum quoddã, ac indelebilem characterem producunt (ſpiritualem poteſtatẽ, & accidens in ſecunda ſpecie qualitatis poſitum) vndè taliter inſigniti, ſpeciali pręrogatiua ſecernũtur ab alijs ex illa Apoſt. atteſtatione.* Qui vnxit nos Deus, & qui ſignauit nos, & dedit pignus ſpiritus in cordibus noſtris. *Cæterum inter alia Baptiſmus & reliquorum ſacramentorum & totius vrbis cæleſtis ianua eſt, per quam qui non ingreditur exulabit in æternum a cęleſti Hieruſalem, Domino his verbis iudicium ferente.* Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto non poteſt introire in Regnum Dei, *Attamen non vnum ſed plura ſunt baptiſmata, quorum potiſſimum eſt ſanguinis munda ablutio, at communius eſt illud, quod ex elementari aqua, & determinata ſanctiſſimæ Trinitatis inuocatione ſecundùm Chriſti auctoris inſtitutum conficitur: Tale. n. illud ordinauit redemptor ante ſuam paſſionem, quamuis vim obligandi non habuerit niſi poſt ipſius mortem: irreiterabile prorſus ſacramentum quod omnes adeò ligat, vt nemini aliundè pateat ſalutis aditus; ideò & meritò non ſolum adultis, in quibus eſt neceſſaria intentio ſuſcipiendi lauacrum Domini, ſed & pueris confertur; non tamen infedelium filijs, inuitis parentibus. Miniſter verò ipſius ſacerdos eſſe debet, iure quidem, niſi ingruens magna neceſſitas diuerſum aliquid expoſcat, omneſq; conſti-*

Matt. 9.

2. Cor. 1.

Io. 3.

tuat huius per neceſſarij ſacramenti miniſtros. Mirabile eſt quod efficit, ita vt omnes peccatorum maculas ab animarum facie lauet & abſtergat, Neque.n.aliud illis Prophetæ verbis
Ezec. 36. *prætendebatur.* Effundam ſuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis veſtris. *At prima ipſa ſacræ vrbis ianua prętergreßa, ſecunda aperiatur, qua illis patet continuò aditus qui ob mortalia crimina à gratia Dei diſcedentes, iterum cupiunt ipſa media priſtinam recuperare coronam; neceſſaria equidem non omnibus, ſed illis qui poſt ſacri fontis ablutionem, retrò aſpicientes ſe iterum Dęmonis ſeruituti ſubiecerunt; meritòq; hac de cauſa a ſanctis patribus ſecunda poſt naufragium tabula nuncupata, prout*
Luc. 13. *Dominus comminabatur.* Si pęnitentiam non habueritis, omnes ſimiliter peribitis. *Et quia fragilitas noſtra ſæpe ſæpius nos ad crimina trahit, ideò iterabile ſacramentum eſt; at non ſacramentum tantum ſed & virtus, ſpecialem locum inter alias morales obtinens; cuius dolor quidem ac paſſio in ſenſu eſt, ſed virtus apud voluntatem quieſcit; taliſq, eſt vt nos Deo in acceptum ſacrificium exhibeat, quale Pſalmus exponebat.*
Pſ. 50. Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus, cor contritũ, & humiliatum Deus non deſpicies. *Patentißima & hęc ianua, quæ vt virtus, & vt ſacramentum, præcipuè tamen hoc ſecundo modo, omnia mortalia delet ſcelera, & de qua iam prę-*
Ezec. 18. *dixerat vates,* Omnium iniquitatum eius quas operatus eſt, non recordabor ampliùs. *Veruntamen & tertiam obtinet ianuam ſancta Hieruſalem, Extremæ vnctionis ſci. ſacramentum quà omnes illi tranſeunt, qui ab hac militante exeuntes ad Triumphantem, vel purgantem Eccleſiam euolant, quã-uis & aliqui ex illis ſint, qui & ad inferni ima deijciuntur. Huius ſacramenti aßignatur proprius effectus, vt ægrotantibus, ac in extremis laborantibus collatum per gratiam quam cauſat, ſanet & deſiccet peccatorum reliquias & cicatrices a peccatis in animabus ipſorum relictas, torporem, languoremq; in bonis operibus excutiat, & ſubinde ſpiritus nitorem quendam, & hilaritatem efficiat; deinde multoties iuxta diuinum placitum, corporis cruciatibus medeatur, & ſanitatem reſtituat, Beatiſſimæ ianuę quę nobis theſauros paradiſi aperiunt, quæ*

nos

nos in electorum numerũ excipiunt, quæq; nos vt aurum in fornacẽ expurgantes ſupernæ Hieruſalem (o vtinam) tandem ciues conſtituent.

A Q V AE.

A*Quæ myſticæ noſtræ vrbis, quæ ſitim extinguunt,* Qui.n. bibẽrit ex hac aqua quam ego dabo ei non ſitiet in æternum, *cor ipſum exhilarant,* Fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei *& omnem iniquitatis ſordem abſtergũt:* Et laui te aqua, & emundaui ſanguinem tuum ex te, & vnxi te oleo. *Hæ flumina diuinæ gratiæ ſunt quę terram animi cordiſq; noſtri irrigant, & fęcundant; quæ quidem gratia nitor quidam ac qualitas eſt (non tamen virtus) in anima eſſentia recepta; qua ita effulget anima, ſicq; perluceſcit, vt Deum alliciendo, cum ipſo ſacrum quendam Amorem conciliet. Huius multæ ſunt ſpecies cum alia gratis data, alia gratum faciens dicatur, & iſta in operantem, & cooperantem inſuper in præuenientem, & ſubſequentem diſtribui conſueſcat, totq; ſcatariunt gratiæ affluentes riuuli, vt meritò repetere valeamus,* Et fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei; *ita enim longè latèq; ſe diffundit, vt ſi in ambitu ſuo ampliori de illa loquamur, nullum poſsimus nos bonum vel concipere vel operari, niſi eius auxilio, ab ipſaq; dependendo. Nam quamuis ſciri poſſit ſine gratia habituali naturale bonum, atq; in opere exerceri, non tamen ſine generali auxilio mouentis Dei, quod & nomen gratiæ ſubit; imò in ſtatu innocentiæ, quamuis valeret anima bonum ſibi naturale per ſua naturalia attingere, non tamen omne bonum ei proportionatum; & ampliùs; licet in eo integritatis ſtatu potuiſſet homo Deum ſuper omnia diligere, ac pręcepta legis quò ad eorum ſubſtantiam ſeruare ſine gratię habitu, non tamen dilectione infuſa, aut per charitatem potuiſſet hæc perficere abſq; gratię ornatu, nec primo etiam modo abſq; generali Dei auxilio. Verùm in ſtatu lapſę, corruentis, & commaculatę naturę nihil ex prędictis valet efficere, niſi adiuuante, ac languores ſanante gratia adeò vt abſq; ipſa pręcluſa ſit via vitam æternam promerendi, vt ſuperiùs ex Apoſtolo*

Io. 4.
Pſal. 45.
Ezech. 16.

Rom. 6. attulimus. Gratia Dei vitá æterna. Quorſum autem præmo-
Ioa. 6. nuit Dominus Nemo poteſt venire ad me, niſi pater, qui
miſit me, traxerit eum, niſi quia nec ſemetipſos ea carentes
ad gratiam ſuſcipiendam præparare poſſunt homines, nec à pec
cato reſurgere, demumque bonum ſectari, aut malum euitare?
At vnde effluunt dulciſſimæ iſtæ aquæ? A quo fonte proma-
nāt? quæ nubes ſuauiſſimas iſtas roris guttas emittunt? fons ille
totius entis, & gratiæ origo eſt, vt in Pſalmis repromittitur,
Pſal. 83. Gratiam, & gloriam dabit dominus. Deinde autem exiuit
a latere Chriſti quùm in cruce percuſſum, miſit foras ſanguini
Pſal. 104. aquam commixtam, quod in eiſdē præſignatur. Dirupit pe-
tram, & fluxerunt aquæ, ac per ſacramenta ſuſcipientibus
applicatur. At non omnes æquè apti ſunt, vt in eam ſe immer-
gant; ſed illa quæ habitus donumque eſt, candorem præmittit
Amoſ. 4. quendam, vnde Propheta. Præparare in occurſum Dei tui
Iſrael: quæ verò Dei mouentis auxilium eleuans eſt, nulla
præuia præparatione eget: eo tamen modo nos inter timorem, ac
ſpem retinet fluctuantes, vt nemo niſi ex diuina peculiari re-
uelatione, aut ex coniecturis ſcire poſſit, an odio, amorène di-
gnus ſit, an gratus nec ne coram Deo habeatur: quâ ſi quis ex-
ornatur iam libat eius dulcedinem, iamq; fructuum eius ſua-
uiſsimum præſentit ſaporem. Et quis præcipuus fructus? En ini-
Rom. 3. mici peccatoris, & iniqui reconciliatio, & iuſtificatio, Iuſtifi-
cati nanque gratis per gratiam ipſius; quod tunc accidit,
quum peccator viua fide in Deum conuerſus, & per ardentem
arbitrij libertatem in Dei amorem, ac peccati deteſtationem ir-
ruēs, gratiam, vnde coram Deo iuſtus apparet, adipiſcitur. Di-
Pſal. 31. xi cōfitebor aduerſum me iniuſtitiā meā Domino, & tu
remiſiſti impietatem peccati mei. Nō ita tamē, quin gratia
dilectionem Dei, & peccati deteſtationem ordine naturæ præce-
dat, quamuis tempore omnia ſimul conficiantur, ſicuti in illa
Act. 2. ſubita mutatione declaratum eſt, quùm, Factus eſt repentè
de cœlo ſonus, tanquam aduenientis ſpiritus vehemen-
tis; ſi tamen præuias concipiamus diſpoſitiones, in tempore ali-
quando, aliquādo in inſtanti perficiuntur. Mirabile certè opus,
& perennis fluminis non indignus fluxus, quòd ſi ſubſtantiam
effectus concipiamus, antecellit creationem, tantamq; lætitiam

omni-

omnibus vniuerſi partibus affert, vt narret Euangelium An-
gelos ipſos cęleſtiaq; Regna lętari ſuper vno peccatore penitē- Luc. 15.
tiam agente, ac ſpecimine gratię ſe iterum exornante; Nos
quoq; his adiuncti gaudijs identitem recantemus cythara per-
ſonante. Fluminis impetus lætificat Ciuitatem Dei.

A E R.

AEris & Vniuerſi aſpectus, ac plaga, verſus quam extru-
cta eſt in montibus ſanctis Ciuitas Dei, quę leuiſſima, di-
recta, ſuaui aura purgatur, ac incolis ſummoperè proficua red-
ditur, Spiritus ſancti flatus, & dona ab eo in cordibus fidelium
inſufflata, ſunt, quę recenſet Eſa. & de quibus rectè dicitur, Eſa. 11.
Spiritus vbi vult ſpirat. *Hęc ea ſunt, intellectus, ſcientię, ti-* Io. 3.
moris, ſapientię, conſilij, pietatis, ac fortitudinis dona; quę ab
ęterno primoque dono nobis elargiuntur, quęque beatitudines
Euangelicas pro pręmio, & corona correſpondentes habent:
Intellectus, quo credenda apprehendimus: ſcientiæ, quę in crea-
tis finitis laborando credenda a non credendis diſcernit: Timo-
ris, quo omnium opificem vel ſeruili (qui quamuis ſecundum rē
malus non ſit, filios tamen dedecet) vel initiali, & hic filiorum
quodammodò eſt, tamen imperfectè adhuc, vel filiali, ac vero
dilectionis metu veneramur, timemuſq;: ſapientię, quę altiſſi-
mas cauſas, Deumq; ipſum introſpicere cupit, ideò in animo cul-
pa caligāte quieſcere renuit, Non. n. in maliuolā animā in- Sap. 1.
troibit ſapientia. *Conſilij, quo prudentia fidelis adiuuatur, &*
perficitur. Pietatis, vnde in Dei amorem filialem tanquàm in
ſummum patrem trahimur, Paulo ſuggerente. Accepiſtis ſpi-
ritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba, Pa- Rom. 8.
ter. *Fortitudinis, qua audaces validiq; reddimur, pro malis per-*
ferendis, ac bonis perficiendis; ita vt nulla ſit animę pars, nul-
lum eius diuerticulum, vbi Auſter ſancti Spiritus flare non cur-
ret, ac contendat, vndeq; Aquilonem torporis, languoris, &
hebetudinis ejcere non conetur; vt tali iucundiſſimo aere enu-
tritos in hac via, ad quietem patrię ſaluos perducat.

MIlitantem Romam ac de inimicis ſuis glorioſè triumphantem elapſa ſæcula viderunt, nec minus vnicuique interno mentis oculo, inimicos myſticę noſtræ vrbis, eorumque ruinam & glorioſum Ciuitatis ſanctę Triumphum inſpicere licebit, eò plauſibiliorem cunctis alijs, quò robuſtiores, ac ſæuiores ſunt eiecti inimici, genus quodcunq; hominum ſummoperè

Eph. 6. excedentes; Audiamus .n. Magiſtrum Gentium. Non eſt nobis colluctatio aduerſus carnem, & ſanguinem, ſed aduerſus principes, & poteſtates, aduerſus mundi rectores tenebrarum harum, contra ſpiritualia nequitiæ in cęleſtibus. *Dęmones ij ſunt qui in initio ſæculi & in ſecundo inſtanti poſt eorum creationem, præludia belli inchoarunt, armis ſuperbiæ & inuidiæ quibus prauè afficiebantur conſtipati.* Nam

Iob. 4. & in Angelis ſuis reperit prauitatem. *futuri in perpetuum hostes infeſtiſſimi principatus Chriſti, ſub cuius ducatu Ciuitas noſtra fęlicem tranſigit vitam: tunc enim de eius ſolio contendere auſi ſunt, dum vel Dei magnitudinem æquare, vel ſe ipſos vt vltimos fines ſibi proponentes, ſibimet & alijs Dij eſſe affe-*

Iſa. 14. *ctarunt*; Aſcendam (*gloriabatur Dęmon.*) ſuper altitudinem nubium, & ero ſimilis altiſsimo: *Impia cogitatio quæ aut Deum factorem ſuum reliquit, aut proprijs viribus obtinendum putauit, quòd ex dono ſolummodò contingit poſſideri. Hi natura boni ſunt, imò princeps ipſorum alijs Angelis in vniuerſum melior, eorumq; ſupremus, lucifer. n. erat, qui manè oriebatur, at voluntate iniquus; nec ipſe tantùm, ſed & complures alij quos ſecum in perditionem non cogendo, ſed modò*

Apoc. 12. *quodam adhortãdo deduxit; traxit nanq; cauda Draconis tertiam partem ſtellarum cęli ad inferos, Hac de cauſa in illo temporis exordio, quùm cępit in Deum ſuperbè ſe erigere exercitus damnatorum Angelorum, factum eſt prælium magnum in cœlo cum militibus ſanctæ Eccleſiæ, Michael, & alij beati Angeli cum Dracone eiuſq; ſequacibus manus conſeruerunt, oppugnantibus inuicem voluntatibus certantes; & proiectus eſt ille Draco ſerpens antiquus, & accuſator fratrum ſuorum, è faſtigio gratiæ ruit, omnia ſupernaturalia dona ammittens, & in naturalibus*

*turalibus debilitatus. Veruntamen odium in Chriſti ciuitatem
non depoſuit, nec victus timuit iterum ad pugnam redire, ſed
anxiè tentando, impugnando, ad peccata alliciendo homines
Chriſti nomine inſignitos debellare contendit; ſe ſuoſq; omnes
exercet, fœdus cum mundo & carne init, fideles in omnia ſce-
lera cupiens dare præcipites, quo pœnarum omnium quę pec-
catis debentur coram Deo reus haud immeritò ſtatuitur. Sed
(proh Chriſti pietas) ſæuiant tortores ipſius, muniat ſe ad libitũ
quibuſcunq; machinis, circundet, inuigilet, tentet, ſemper tamẽ
tanquam aurum in fornace electos purgabit, eoſq; clariores ob
victoriam de ipſo habitam reddet, vt hinc præuiſi ſint,* Fulge- Dan. 12.
re tanquam ſtellæ in perpetuas æternitates.

ROBVR ET ESCA.

*PRæliatur continuè hęc Domini Ciuitas, & velut Noe noua
arca de die in diem inter turbulentas inimicorum obiectas
calumnias fluctuare non deſinit, & tamen ſemper magis magiſ-
que perſeuerat, firmatur, & victorioſa omnes eorum inſidias
inconcuſſa tranſilit. At quo robore ſic cuncta prętergreditur?
qua eſca ſuos milites in tam diuturno prēſidio enutrit? Robur,
diuinum eſt Confirmationis ſacramentum, cuius partes ſunt,
vt Chriſtiano collatum (præmittitur nanque ſemper Baptiſ-
mi character, ſine quo collatum ſacramentum non eſſet) robo-
ret, ſolidet, ac fortes robuſtaſque reddat fidelium animas, quas
imbecilles, & (quod ait Petrus)* Quaſi modò genitos in- 1. Pet. 2.
fantes *produxit vnda Baptiſmatis. Eſt enim ab Epiſcopo in
fronte collatum Chriſma, quod in animo ſuſcipientis characte-
rem imprimit, eum quaſi validiorem in ſpirituali bello militem
deſignans, & ipſius bracchia ex collata gratia confirmans.
Eſca autem, & cibus non hominum ſed Angelorum etiam eſt
panis ille de quo dicit Dominus,* Ego ſum panis viuus qui Io. 6.
de cęlo deſcendi, *eſt agnus in veteri lege Deo ſacrificatus,* Pa- 1. Cor. 5.
ſcha nanq; noſtrum immolatus eſt Chriſtus; *eſt myſticum
manna; eſt ouis occiſionis, eſt demum ſpiritualis alimonia, quæ
nobis per Angelum per ſacerdotem ſci. collata, inoffenſos nos
omnes vſq; ad montem Dei Oreb, ad regnum æterni patris de-*

ducit:

ducit: Sacratiſſimum Euchariſtiæ ſacramentum, quod quamuis non ſit vndiq; neceſſarium ſaluti, ita tamen confert, & adiuuat, vt parum à neceſſitate elongetur; quod ſacrificium, vt commemorat Chriſti paſſionem: communio, vt vnitatem oſtentat Eccleſiæ: viaticum, vt nobis præſagium datur futuræ gloriæ: Euchariſtia, vt Chriſtum plenum gratia, & veritate continet; haud iniuria nuncupatur. Attamen perpendamus quid in nobis hæc beatiſſima eſca producat, en gratiam confert. Panis
Ioa. 6: quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita; *ad Gloriam*
Ibid. *aſportat,* Si quis manducauerit ex hoc pane viuet in æter
num. *Venialia delet crimina, a futuris admittendis præſeruat.*
Ibid. Si quis enim ex ipſo manducauerit, non morietur: *Nec ſumentibus tãtùm, ſed & alijs qui in ſpirituali refectione communicant ſummoperè prodeſt, Quid plura? Confortat ſpiritum, animam paſcit, & cæleſtis patriæ tutiſſimum nobis pignus exhibet. Validiſsimum robur, Beatiſsima eſca, de qua meritò cum*
Pſ. 103. *Regio vate canere poſſumus.* Aperiente te manum tuam omnia implebuntur bonitate.

PRAEMIVM.

2. Tim. 2. *SEd pugnantibus corona debetur, quę teſtante Apoſtolo illis cõceditur qui in huius fœlicis Ciuitatis agone dimicantes, legitimè certauerint, Quē finem rogo, quæ pręmia, quas coronas obtinebunt, qui in tot anguſtijs calcabunt mundum, carnem ac*
Pſal. 118. *Dæmonem ſuperabunt? ait namq; Dauid,* Inclinaui cor meum ad faciendas iuſtificationes tuas in æternum propter retributionem. *quam retributionem? non diuitiarum certè, aut honorum, ſeu gloriæ, non poteſtatis, voluptatis, aut denique cuiuſcunque corporei ac creati boni, etenim ſerò florida ſunt hæc, & virentia, manè autem decidunt, indurant, & areſcunt; ſed eam, quæ cum ſit ſtatus omnium bonorum aggregatione perfectus, quamuis finita inueniatur quò ad actum, cum ſit animæ noſtræ operatio ſecundum perfectam virtutem, infinita tamen eſt quò ad obiectum, cum ſit Angelorum, & hominum ſtatus in ſupremo fine, & in Deo ipſo. Quieſcit ſiquidem in Deo quiſquis poſt hæc certamina meruerit in patria tali corona exornari, nõ*

ſenſum,ſed per intellectum primo loco; per voluntatem ſecundo:& in hac quiete hoc ſolo iucundatur, inſpiciendo nimirum inſpici, & inſpectũ proſpicere,ac ſpeculari omne bonum. Hæc enim eſt vita æterna,vt cognoſcant te,ſolum verũ Deũ, Io. 17.
& quem miſiſti Ieſum Chriſtum: *quem non per ſimulacrũ aut ſpeciem,ſed per ſemetipſos oculis ſuæ mentis vt principiũ, & terminum imbibitum vident beati, ad tantam viſionem viribus proprijs haud eleuati,ſed lumine gloriæ ſuffulti,quod ſicut variè iuxta diuerſam charitatis portionem participant, ita ad diuerſos gradus,diuerſaſq; diuinæ contemplationis ſedes eos deducit,non eò vſq; tamen,vt infinitum illud obiectum luſtrare vndiq; ac comprehendere,nec minùs in eo vniuerſa videre valeant ,ſed vt ſecundúm variam diuinæ eiuſdem eßentiæ apprehenſionem plures, minoresve rerum in ipſa naturas intueantur,cum tamen plurima, atque ea omnia quæ ad beatos quouis iure pertinent,in ipſo diuinò primo obiecto,non quaſi in ſpeculo proſpiciant. quorum qualiſcunq; ſpeculatio haud efficit beatos, hoc ſola Dei contemplatione præſtante;quod & Philippus curioſa cunctatione prætetigit,* Oſtẽde nobis Patrem,& ſuffi- Io. 14.
cit nobis:*oſtende profectò,quia niſi ſemetipſum propalet,quis poterit noſtrorum oculorum aciem in tantum lumen acuere? Forſan naturæ vires? Abſit,cum quamuis tanti boni capax ſit, non tamen in id,tanquàm in naturalem finem naturali acclinatione propendat,ſed excedens naturæ auſum modis omnibus agnoſcat. Niſi igitur vultum ſuum ipſe detegeret,niſi eorum aperiret internos oculos dubio procul omni bono non fruerentur beati. Beati equidẽ terq; quaterq; qui æternæ illius gloriæ ſugẽt vbera; tanquam ſanctæ vrbis Athletæ, nobilißimiq; Heroes in conuiuio Paradiſi mero diuinæ voluptatis debacchantur, mente comprehendentes omnem veritatẽ, prout ille Corinthios adhortabatur,* Sic currite vt comprehendatis;*voluntatè de* 1. Cor. 9.
ſummo bono mirificè gaudent, Et iuſti epulentur,& exultẽt Pſal. 67.
in conſpectu Dei:*in affectibus,rectitudinis regulam non ammittentes*, Pacem ſequimini: *(inquit Apoſtolus)* cum omnibus,& ſanctimoniam, ſine qua nemo Deũ videbit: Heb. 12.
corporis donis ac ornamentis fulgentes, agilitate, ſubtilitate, claritate,& impaßibilitate (quæ licet omninò ad ipſorum fœli-

citatem non requirantur, non tamen parum eidem conducunt:) ad hilareſcunt, gaudent, & lætantur, vt cuncta præ tantæ dulcedinis delectatione ſpernant, vniuerſa contemnant, ſingula cauſa huius diuini ſuorum certaminum præmij reijciant, canentes ad Citharam Dauidis. Quid.n. mihi eſt in cęlo, & à te quid

Pſ. 72. volui ſuper terram? Mihi autem adhærere Deo bonum eſt, ponere in Domino Deo ſpem meam.

AD CIVITATEM APOSTROPHE.

HIcuſq; Hieruſalem ſancta Chriſti Principis ſponſa charisſima ei per fidem copulata, imò ipſiuſmet Dei & hominis myſticum corpus, tuam effingere conatus ſum formam, debiliſsimis certè ingenij innixus viribus, at non infirmo affectui, eòq; ardentiori, quò rudiori ſermonis ſtylo. Fateor en fateor parum eſſe, imò nihil forſan congruum, quod de tua communitate, capite, alijſq; præclaris partibus effatus ſum, inconcinnum tamen (vt puto) non exiſtimabitur, dicere voluiſſe: quæ enim lingua non hominis ſolummodò, ſed & Angeli tua ſingula ornamenta enarrare valebit? obmuteſcent ſinguli, operis vaſtitate oppreſsi, hoc mecum acclamantes, Glorioſa dicta ſunt de te

Can. 4. ciuitas Dei, *& quæ glorioſa? En, formoſitas.* Tota pulchra

Can. 2. es amica mea, & macula nō eſt in te. *Caſtitas,* Surge pro-

Can. 3. pera amica mea, formoſa mea, *Contemplatio,* Quæ eſt iſta quæ aſcendit per deſertum ſicut virgula fumi? *ſunt hæc valde glorioſa, quæ de te paſsim audiuntur, ſed adhuc glorioſior ideò es, quia tot gradus, totq; varias Hierarchias amplectens, vnica es, in vno Deo, in vtroq; Chriſto charitatis vinculo indisſolubiliter connexa. Ex quo de te ſuauiſsimo amore arreptus*

Can. 6. *ſponſus proferat,* Vna eſt columba mea perfecta mea, vna eſt matri ſuæ, electa genitrici ſuæ. *O beata tuorum ciuium vnitas. Quomodò cum Chriſto ſponſo coniungitur, quæ amoris dulcedine eum amplectitur, quas extaſes, quos ſancti amoris*

Can. 1. *ſenſus ipſam deoſculando guſtat?* En faſciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter vbera mea commorabitur. *His ſuauitatibus mutui amplexus oblectati ſponſus ac ſponſa, quo ſacro flagratis incendio? quo diuino ardetis amore? qua ſpiri-*

tuali